

PARS LIBRI HVIVS

QVINTA DE QVADRANTE RECTILINEA ¶,


quem & ipsi iam recens inuenimus, atq; ad vsum non earum tantum quæ in Christianismo sunt regionum, sed & omnium penè totius mundi climatum applicauimus.

PROPOSITIO PRIMA

¶ Quadrantem hunc rectilinearum cum lineis suis in vniuersum explicare.

Quadrans hic noster lineas 10. rectas & parallelas habet, designantes horas cōmunes ante & post meridiem, incipiendo a tertia antemeridiana vsq; ad nonam pomeridianam. Sed iuxta horam 12. adiuncti sunt gradus aliquot cū numeris suis diuisi a 30. vsq; in 60. qui eleuationes polares significant, scalam hanc meridiei appellare placuit, Centrū vero quadrantis E; & huic quidem proxime iunctæ sunt literæ L M N cum quadam pictura que tibi ostendit vt in eam formā lamina aliqua ibidem adfigatur, ex qua brachiola duo mobilia dependeant, quibus filum adnectatur in puncto P, in eo etiam vnionem conuenit adponere, qui inde volui facile queat.

FORMA HVIVS BRACHIOLI.



¶ Neq; hinc longe videbis lineas 16. ex summo quadrantis decedentes a dextra in sinistra, & vbi in litera A concurrerint, rursus semet in latum extendentes, & hæ quidem cum adiunctis numeris suis a 30. vsq; 60. eleuationes polares significant. Imaginaberis autem hic quamlibet harum, que per literam A descendunt lineam, peculiarem quendam esse illius eleuationis Zodiacum, nam & singulæ per transuersas 12. signorum lineas in partes diuiduntur 18., earum quelibet gradus 10. significat. Et sic satis intelliges in hac re suum cuiq; eleuationi esse Zodiacum. Sunt etiam adhuc aliæ transuersæ & hæ quidem diuisæ suis singulæ stellis adiunctæ lineæ punctis exiguis ductæ, vsum stellarum significantes, ita vt si quando ex stella aliqua horam noctis scire cupias, brachiolum cum litera P reponas super ipsam intersectionem istius diuisæ lineæ & Zodiaci eius regionis.

Iuxta horā 12. stellæ cū numeris suis positæ sunt, similiter & opposita signorū Zodiaci. Hactenus itaq; cōmunem rectarū linearū ostendisse intellectū sufficiat, nūc porro lineas explicemus etiā obliquas cū circino ductas. Et primū quidem in ipso limbo circulū videbis F G in gradus 360. dissectum, gradus inquam ipsos q; in 12. signa diuisos, sicut illi & characteres & numeri ad oculum te edocebunt. Deinde alius adhuc limbus hic est H I, in eo stellæ positæ sunt 16. suis singulæ numeris distinctæ, sub illo etiamnum alius est K L in partes diuisus 24. quarum quelibet horam vnā designat cōmunem, hora autem queuis in particulas adhuc 4. est diuisa. Postremo Quadrantem hunc lineæ duæ velut includunt, quarum quelibet & super aliam descendit regulariter & per se diuisa est in partes æquales 100., puncta nimirum vmbre tum rectæ tum versæ, sicut & adscripta ibidem restantur vocabula.

Partes